

LVITGERVS SAXONVM APOSTOLVS.



**L** Vitgerus omnis generis uirtutib. insignis, sub Pipino & Carolo Francorum regibus passim per inferiorem Germaniam Euangelium Christi prædicauit, & multos ab Idolorum cultu abduxit. In primis uerò ad Frisios conuersus, eos in uera pietate instituit, & aliquot ibi Ecclesias erexit. Postea Caroli regis hortatu ad Saxones profectus, eos quoque sua prædicatione mansuetiores reddidit, atq; Christi suaue iugum suscipere persuasit. Itaque apud omnes in magna existimatione fuit. Cum hoc modo egregiam operam diu Christo præstitisset, tandem anno salutis nostræ 809 obiit. Theoph. Leb. in Onomast. Theolog.